



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

R.P. Richardi Lyncei ... Vniversa Philosophia Scholastica

Complectens Physicam, siue Scientiam de Corpore naturali

Lynch, Richard

Lvgdvni, 1654

Tractatvs III. De actione generatius corporis naturalis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95236](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95236)



TRACTATUS III.

De actione generatiua corporis naturalis.

CAPVT PRIMVM.

Quid sit subiectum actionis generatiuae.

I.



OSTRA sententia sit: Actionem generatiuam recipi in agente, & non in passio, aut effectu: ita D. Thomas 2. contra Gentes cap. 9. ibi: *actio, quae non est substantia agentis, inest ei, sicut accidens subiecto*; & ideo inter nouem predicamenta computatur. D. Thomam sequuntur complures Thomistae apud P. Suarez 2. Metaphysicae disput. 68. quorum rationibus praetermissis sententiam in hunc modum probō. Si actio generatiua non reciperetur in agente, possent agentia creata agere transiunt, & ad extra absque vlla sui intrinseca mutatione, vt compertum est: consequens autem impossibile est: tum, quia agens vitale, & immanens non vitali, ac transeunti perfectius est: at agens vitale creatum sine mutatione sui de potentia ad actum secundum vitalem reduci nequit: tum quia substantiae rationales agere ad extra nequeunt absque prauiua mutatione sui: prius enim velle eas oportet id, quod ad extra operaturae sunt: igitur substantiae inanimes, & irracionales multo minus absque mutatione sui ad extra operari possunt. Tum demum: quia solius Dei est ob eius infinitam, & vnde quaque illimitatam perfectionem; quod sine mutatione sui agere, & pro libito res creatas mutare, & mouere possit: id quod expressit Boetius libro 3. de consolatio. metro 9.

Stabilisque marens das cuncta moueri.

2.

Id ipsum etiam Patribus solemne est, nec non antiquis Philosophis, qui, vt tradit D. Thomas 1. p. q. 9. art. 1. *ipsa veritate coacti posuerunt primum principium esse immobile, cum tamen causae secundae ita moueant, vt simul moueantur.*

3.

Rursus nostram sententiam suadeo: quia in diuinis generatio actiua est in Patre producente, non vero in Filio producto, igitur etiam in creatis productio actiua, siue actio in agente, velut subiecto residet, aut certe residere potest, non vero in effectu, aut passio. Dices primo: ex P. Hurtado, generationem actiuam non esse in subiecto proprie, ac proinde mirandum non esse, si in producente, non vero in aliquo passio residet. Contra tamen: quia tamen generatio actiua in subiecto non sit, in supposito tamen residet: at non residet in eodem supposito, quo filiatio per eam producta: igitur, esto actio generatiua in subiecto sit, non propterea in subiecto forma genita, sed potius in agente esse debet. Dices secundo ex eodem; generare, & posse generare in diuinis realiter non distingui: cum igitur potentia generatiua in Patre sit, mirum non esse, si in eo quoque generatio actiua a potentia generandi indistincta residet: at hanc rationem non militare in rebus creatis, vbi posse generare, & actu

generare realiter distinguuntur. Contra tamen primo: quia plus est, inesse per identitatem, quam per inhaesionem; & intimius agenti est, quod ei identificatur, quam quod in eo suscipitur: at in diuinis actio generatiua est in agente per identitatem, vt solutio largitur: igitur in creatis a fortiori in agente per inhaesionem residere poterit. Contra secundo: quia generatio actiua in diuinis, & potentia generatiua virtualiter intrinsece distinguuntur: at haec distinctio virtualis sufficit, vt in diuersis suppositis resideant, vbi aliunde nihil obstat: igitur, si non obstante ea distinctione ambae in generante resident; similiter potentia generatiua creata, & eius actio inuicem realiter distinctae in agente solo tanquam subiecto residebunt. Minor suadetur: quia essentia, & Paternitas virtualiter intrinsece tantum distinguuntur, & tamen haec in solo Patre, illa vero in Filio, & Spiritu residet.

Dices tertio: in diuinis duas formalitates vni tertio identificari posse, quae inter se eadem non sint; & tamen in creatis nil simile contingere potest: ergo etiam in praesenti a diuinis ad creatas perperam arguitur. Verum haec instantia nulla est: non enim contendimus, quidquid in diuinis reperitur, illico transferri posse ad res creatas; sed tantum enitimus, quidquid in Deo reperitur, quod ex ipsis rerum naturis, non vero ex infinitate Dei proficiscitur, id omne ad creaturas traduci posse, & debere; seruata tamen proportionem, & cum eo discrimine, quod quae in Deo sine imperfectione reperiuntur, ea in creaturis imperfectionem admixtam habeant. Qua ratione, sicut in diuinis amor sine cognitione prauiua repugnat, in creatis etiam sub inde repugnat; videlicet, quia necessitas prauiuae cognitionis ad amandum non peculiariter ex infinitate Dei, sed ex rerum ipsarum naturis proficiscitur: at, quod actio generatiua Patri intrinseca sit, non ex eius infinitate peculiariter proficiscitur; vti ex ea oritur, quod quae sunt idem vni tertio, inter se idem esse non debeant: igitur si actio generatiua Verbi in Patre suscipitur, & actio creata in agente recipi debet: minor suadetur: quia non minus infinitus est Filius, quam Pater; & tamen generatio actiua non residet in Filio: quod igitur residet in Patre, ex eius infinitate neutiquam proficiscitur: tum etiam, quia si ex infinitate Dei ortum haberet, quod productio actiua in Patre maneret, ne spectata absoluta Creatoris potentia possibile esset, agens creatum, in quo actio generatiua maneret: consequens autem absurdum est, quia quod agens creatum per se ipsum generet, ad imperfectionem, & connexionem essentialem cum effectu omnino a se distincto pertinet: cur igitur id supra conditionem creaturam censeatur.

Dices quarto: generatio passiuia in diuinis est intrinseca Filio; & tamen inde non sequitur, actionem generatiuam in creatis intrinsece subiecti debere in eius termino: ergo similiter in casu nostri argumenti, &c. Contra tamen: quia si actio generatiua in termino genito subiectaretur, eo prior, ac posterior esset, quod tamen repugnat. Vnde ex eo, quod generatio terminum suo per identitatem intrinseca sit, neutiquam effici potest, eam in creatis terminum suo per inhaesionem, seu receptionem intrinsecam esse: at quamuis actio generatiua in agente creato recipiatur, mutua prioritas, ac posterioritas minime sequitur.

Contra secundò : quia falsò supponitur, actionem generatiuam termino creato intrinsecam non esse, cum omnis effectus creatus vel actio creatiua, vel generatiua respectu primæ causæ sit, vt sæpè sæpius ostendimus.

Contra nostram sententiam obiici solet primò : actio generatiua nusquam recipi potest, nisi vbi per eam aliquid producat, quia ibi otiosè collocata esset, vbi nihil ageret : at actio transiens nihil operatur in agente, nullumque in eo terminum producit : igitur in eo tanquam subiecto non residet. Rursus ex D. Thoma contra Gentes cap. 1. actio transiens, & immanens omnium confessione differunt : at neutiquam differrent, si actio transiens in agente resideret : nam si actio transiens in agente recipitur : igitur illi immanet : igitur actio immanens est. Tertiò ex P. Suarez vbi suprà : quia actio generatiua ex conceptu actionis vt sic subiectum inhaesionis minimè postulat, cum creatio vera actio sit, nullum tamen subiectum inhaesionis respiciat : igitur solum postulat subiectum inhaesionis ratione termini, quem in subiecto producit : igitur illud subiectum exigit, cui eius terminus inhaeret, aut in quo sustentatur. Prima consequentia in aperto est : secunda consequentia non minus perspicua est : tum quia si actio creatiua est dependens à subiecto non ex conceptu communi actionis, sed ratione termini, quem independenter à subiecto producit, rectè sequitur, eam ab eo subiecto in dependere, à quo eius terminus independet : ergo similiter, si actio generatiua non ex conceptu communi actionis, sed ratione termini à subiecto dependet, ab eodem subiecto, à quo eius terminus, dependeat, necesse est : tum quia ridiculum videtur, ideo actionem dependere in genere causæ materialis ab agente, quia eius terminus à passo, agenti extraneo, in eo genere causæ dependet. Quid enim refert, terminum recipi in passo, vt eius actio alibi recipi debeat : Igitur si actio generatiua ratione termini subiectum postulat, non aliud quàm ipsius termini subiectum postulat. Quartò demum ex P. Hurtado, & nostris recentioribus, qui actionem generatiuam in passo recipi communiter existimant : quia actio, & passo non distinguuntur : at passo recipitur in passo, alias illud intrinsecè non immutatur.

Verùm hæc argumenta non vrgent. Ad primum respondeo : in nostra sententia, vbi recipitur actio generatiua, ibi etiam aliquid operatur, si ly *ibi* supra operationem, aut denominationem operantis, aut etiam operati appellet : secus vero si supra rem operatam appellet : hoc autem satis superque est, ne in agente otiosa sit. Quod si aduersarij velint, vbi est actio, siue operatio, ibidem esse oportere rem ipsam operatam, ne actio otiosa sit, id manifestè falsum est : quia vbi est cognitio, & volitio, ibi esse non debet res cognita, aut amata ; ne cognitio, & volitio otiosæ sint. Ad secundum respondeo : quemadmodum actio aliqua substantialis dicitur, alia verò accidentalis ; non quod vna in se sit substantia, altera vero accidens : cum omnes actiones creatæ accidentia sint, & vnum ex nouè prædicamentis accidentis constituant, sed quod terminus vnus est substantia, alterius vero accidens : ita similiter actio aliqua immanens dicitur, alia vero transiens ; non quod vna sit extra agens, alia verò intra illud, vt in argumento assumitur : sed quod terminus vnus sit

extra agens, non verò terminus alterius.

Ad tertium respondeo : actio generatiua non postulat subiectum inhaesionis ex conceptu practico actionis, aut quia actio vtcumque est, cum complures actiones subiectum inhaesionis minimè fortiantur ; eæ nimirum, quæ in voluntate Dei creante, & termino creato constituunt : hinc tamen minimè fit, actionem generatiuam postulare subiectum ratione sui termini, siue eo quod eius terminus subiectum inhaesionis postulet : quod ad hominem contra P. Suarez ostendo : quia iuxta ipsum creatio Angeli habet subiectum adhaesionis, ipsum Angelum : at non ratione termini ; cum erit terminus, nimirum Angelus nullum habeat subiectum, cui adhæreat, sed potius sit subiectum, cui reliqua adhærent : ergo similiter in præsentia ; quo circa actio generatiua postulat subiectum inhaesionis, non ratione termini, sed ob rationes, quas suprà ostendimus, cum nostram sententiam probaremus. Ad quartum constabit capite sequenti.

CAPVT II.

An, aut quatenus actio generatiua à passione distinguatur ?

Prima sententia est ; actionem generatiuam distingui à passione vniuersim sumpta : ita Scotus in 4. dist. 13. quæst. 1. Antonius Andreas in lib. de principiis Herucus quodlib. 7. quæst. 14. Capreolus in 2. dist. 1. q. 2. art. 1. & cum eo communiter Thomistæ. Secunda sententia, & ex diametro opposita est : actionem generatiuam, & passionem vniuersim sumptas minimè distingui realiter : ita cum P. Suarez 2. Metaphysicæ disp. 49. sect. 1. & P. Hurtado communiter nostri recentiores. Verùm inter has sententias media quædam amplectenda nobis est : pro cuius luce, & intelligentia supponendum est, passionem bifariam suui posse, & solere : primò, pro generatione passiuæ, qua res aliqua produci, & generari dicitur : ita D. Thomas opusculo 44. cap. 2. in hæc verba : *talis ergo denominatio vel respectus passi est formaliter ab extrinsecò, ex quo importat agens, quod est extrinsecum : sic ergo passio extrinsecè denominat subiectum, vel dicit respectum ab extrinsecò.* Secunda, eaque familiarior passionis vsurpatio, est qua idem significat, quod causalitas causæ materialis, qua formæ subest, eamque recipit, & sustentat : etenim materialis, & passiuæ coincidunt : at passio est causalitas causæ passiuæ, haud secus ac actio est causalitas causæ actiuæ : igitur passio est causalitas causæ materialis, qua formæ subiacet.

Supposita hac distinctione duplicis passionis : prima conclusio est, qua Thomistis dissentimus, & Authoribus posterioris sententiæ consentimus : actio generatiua non distinguitur realiter à passione in priori sensu ex iis, quos proximè superius explicuimus, videlicet propt passio eadem est cū generatione passiuæ, qua quid à generante fieri, ac produci dicitur. Hæc conclusio suadetur : primò autoritate Aristotelis 3. physicor. lect. 5. ibi : *Neque vnum duobus quicquam prohibet, eundem esse actum, non sicut idem, sed sicut est, quod potentia est ad agens, nec necesse est docentem adducere*

ducere, nec si pati, & agere idem est, non tamen ut ratio sit una, quod quid est esse dicentes, sicuti tunice & indumenti, sed sicut via ex Thebis ad Athenas, & ab Athenis ad Thebas, quemadmodum dictum est prius: non enim eadem omnia insunt quodlibet modo eisdem, sed solum quibus esse idem est. Quibus verbis, ut D. Thomas, & alij expostores tradunt, ita docet Philosophus, actionem & passionem v. g. doctrinam, qua quis docet; & disciplinam, qua quis addiscit, siue docetur; ita realiter identificari, ut ratione ratiocinata, seu virtualiter intrinsecè distinguantur: quo fit, ut necesse non sit dicentem addiscere, siue à se doceri, idemve ad se ipsum realiter referri; sicut oporteret, si actio, & passio synonyma essent, sicut tunica, & indumentum: ac virtualiter non distinguerentur, sicut in simili sæpè docuimus.

11. Deinde suadetur eadem conclusio: quia per eam formam, per quam voluntas obiectum amat, aut intellectus illud cognoscit; per eandem, inquam, cognoscitur, & amatur: igitur per eandem realiter formam, per quam generans effectum producit, effectus à generante producit: ac proinde generatio actiua, & generatio passiua, siue passio non distinguuntur. Consequentia negari nequit: antecedens ex ipsis terminis manifestissimum apparet, & vel Grammaticis tritum est, quidem per vocem actiuam, & passiuam significare consueverunt. Rursus suadetur eadem conclusio: quia actio terminum versatur, eumque respicit: ergo circa terminum versatur, eumque respicit: ergo ei aliquam denominationem tribuit: non determinationem agentis, aut respicientis, cum forma producta necesse agat, nec se recipiat: ergo solam denominationem producti effectui realiter communicat, atque adeo productio passiua, siue passio reipia censenda est.

12. Secunda conclusio fit; qua ab Authoribus posterioris sententiae dissentimus, & Thomistis consentimus: Actio generatiua distinguitur realiter à passione in posteriori sensu ex iis, quos in initio capitis exposuimus; videlicet propterea passio cum causalitate causæ materialis coincidit. Hæc conclusio suadetur, primò: quia actio generatiua, siue eductiua formæ, vel etiam ipsius vnionis ab vnione realiter distinguitur, ut ostendimus infra: sed vnio est causalitas causæ materialis, ut sæpè sapius ostensum est. Rursus si ob aliquam rationem actio generatiua deberet esse passio, seu receptio formæ, quam producit; maxime, quia est productio formæ dependenter à subiecto: ac proinde videtur ipsa dependere à subiecto, à quo formam pendere facit; haud secus ac vnio vnitur subiecto, cui formam vnit; & vbicatio, & duratio existunt in tempore, & loco, in quibus rem duratam, & locatam constituunt: at hæc ratio nulla est, siquidem actio generatiua est productio formæ dependenter à subiecto non formaliter, sed efficienter, & radicaliter: idque profectò satis, superque est, ut ab actione creatiua differat. Aliis terminis est productio formæ dependenter à subiecto non ita, ut eam dependentiam causet in genere causæ formalis, sed ita, ut eam in genere causæ efficientis causet: igitur non est, cur debeat à subiecto, quod formæ subest, formaliter dependere propterea ad passionem oportet. Rursus: si qua ratione actio generatiua, & passio non distinguerentur, maxime etiam, quia passio efficitur per aliquam actionem, non autem per aliam à

se, ne detur actionis actio, ac per consequens processus in infinitum: at hæc ratio, cui aduersarij plurimum tribuunt, momentosa non est: in primis; quia tantum concludit, passionem esse actionem generatiuam suimetipsius, non vero esse actionem generatiuam formæ, quam subiecto affigit. Deinde dari actionem actionis in diuerso genere causæ fusè ostendimus supra lib. 4. tract. decimo, capite quarto prope finem. Præterea, dari etiam actionem actionis in eodem genere causæ respectu termini diuersorum agentium eod. lib. 4. tract. 8. cap. 1. probauimus, cum de concursu causæ primæ ageremus: quæ omnia hic repeti superuacaneum esset.

Contra primam conclusionem arguunt Thomistæ: actio, & passio ad diuersa prædicamenta spectant: igitur realiter distinguuntur. Verum huic argumento absque negotio responderi potest ex D. Thoma opusculo 48. cap. 3. ibi: *licet actio, & passio, & forma, qua aliquid mouetur, sit una res, tamen propter diuersam denominationem, quam important, vel propter diuersum respectum importatum sunt diuersa prædicamenta*: quibus verbis perspicue reuocat diuersitatem prædicamentalem actionis, & passionis non in distinctionem realem, sed in earundem distinctionem rationis. Arguunt secundò: quia cognitio actiua, qua intellectus cognoscit obiectum, & cognitio passiua, qua obiectum denominatur cognitum realiter distinguuntur: cum altera sit ens reale, altera vero sit ens rationis: ergo similiter in præfenti. Verum huic argumento factum est satis in Dial. lib. 2. tr. 1. à cap. 5.

14. Tertiò difficilior argui potest: actio, siue productio actiua est in causa, passi vero, siue passiua productio est in effectu, seu mobili: igitur realiter distinguuntur. Consequentia perspicua est: antecedens quoad primam eius partem superius probatum est: quoad secundam autem eius partem, ita suadetur: quia si productio passiua resideret in causa, & non in mobili, siue termino, proculdubio suum effectum formalem causæ tribueret, cum nulla forma naturaliter esse possit in subiecto, cui suum effectum formalem communicare nequeat: alias cur cognitio naturaliter in lapide collocari nequeat: effectus formalis productionis passiuae, & denominatio ab ea proficisci nata est, rem esse productam: igitur, si productio passiua residet in agente, illud à semetipso productum denominabit. Respondeo primò: productionem passiua recipi quidem in agente, non tamen immediatè, sed mediante productione actiua, à se virtualiter intrinsecè distincta: atque ut non recipitur in agente immediatè, ita in nullo subiecto immediatè recipi, hoc enim non est, eam non recipi realiter vsquam, sed tantum quod recipiatur alicubi, hoc aliunde eam emendicare, & non à se ipsa formalissimè habere: sic nihil in eo absurdi est, quod aliqua formalitas creata non per se ipsam immediatè, sed per aliam dependeat à Deo. Tum sic: productio passiua non vnitur immediatè agenti, sicut ei vnitur productio actiua: quid mirum ergo, si huius defectu vnionis illud productum non denominet, sicut à productione actiua denominatur producens? Respondeo secundò: vnionem requisitam ad effectum formalem producti non esse intrinsecam, sed extrinsecam, nec tam receptionis etiam immediatæ, quàm terminationis extrinsecæ: cum ergo productio

productio passiva non terminetur ad agens, non est, cur illud denominet productum, licet in eo etiam immediatè recipiatur: effectus enim formalis non est forma subiecto capaci communicata, utique, sed forma ei per unionem proportionatam, atque requisitam communicata. Sed de hoc in simili plura in Metaphysica inter agendum de distinctione virtuali intrinseca in rebus creatis. Ad argumenta contra secundam conclusionem ex superioribus constat, etsi quæ supersunt, à P. Roderico de Arriaga, & aliis Authoribus nostris optimè solvantur.

CAPUT III.

*An actio generatiua, siueeductiua formæ
substantialis ab eius unionem
distinguitur?*

15. **P**remitto primò; causalitatem, qua materia in genere causæ materialis formam substantialem causat, seu passionem, qua eam recipit, & sustentat, nihil aliud esse, quàm unionem, qua forma ita materia vnitur, ut materia ex natura rei existere nequeat: id quod libro præcedente fusè ostendi inter disputandum de causa formali & materiali. Præmitto secundò; unionem formæ materialis cum materia per actionem ab ea realiter distinctam produci. Probatur: quia homo, iuxta aduersarios, intrinsecè, & per identitatem includit unionem: at ita non includit actionem unionis productiuam: ergo, &c. Minor probatur: quoniam, si includeret homo intrinsecè, atque identicè actionem, qua eius unio producitur, sanè idem numero homo à solo Deo, vel ab alio homine produci non posset: siquidem productus à solo Deo aliam numero actionem intrinsecè ac per identitatem includeret; aliam, inquam, ab actione, qua ab alio homine produci potest, atque adeò non esset idem numero homo, qui ab homine, & à solo Deo productus esset. Quod autem nonnulli respondent, hunc numero hominem hac, vel illa unionem, seu actionemeductiua constitui, ac proinde eundem numero esse posse, quantumvis diuersam actionemeductiuam, & unionem includant, fusè à nobis impugnatum est in simili supra lib. 2. tract. 8. cap. 1. & 4. Tum etiam: munus unionis est extrema connectere: at nexus intrinsecus extremorum, quatales est, sola extrema, non vero causam efficientem respicit: igitur unio formæ materialis, qua causam efficientem non respicit; ac proinde actio productiua sui non est. Præmitto tertio; actionemeductiuam formæ materialis, siue eius generationem coalescere formaliter ex duplici actione, quarum altera ad solam entitatem formæ terminatur, altera vero ad eius unionem, siue passionem, quod in hunc modum ostenditur: quia non est, cur entitas formæ actionem sibi peculiariter, & ad aliud non terminatam fortitur: at illa actio ad solam formam terminata, non magiseductiua, seu generatiua, quam creatiua est: cum non magis ad dependentiam, quàm ad independentiam formæ à materia terminetur: ergo quodeductiua, seu generatiua sit, habet ab actione productiua unionis, cum qua coniungitur. Quibus positis proclive est, probare distinctionem

actioniseductiue formæ ab eius unionem cum materia; siquidem actioeductiua formæ est duplex illa actio nuper exposita: at utraque ab unionem distinguitur: ergo. Maior ex postremo præmissio: minor ex reliquis perspicua est.

Secundò in hunc modum argumentor: modi, quales sunt unio, vbicatio, duratio, & si velis, cognitio, & amor per actionemeductiuam à se distinctam producantur: at per eam minimè vniuntur: ergo nec forma materialis per actionemeductiuam vnietur. Maior perspicua est: cur enim actio omnes modos transcendat, aut cur omnis modus se ipso produci debeat potius, quàm se ipso vbicari, aut durare? Omnis autè modus se ipso nec durat, nec vbicatur: aliàs intellectio, qua in hoc instanti, & loco obiectum percipio, in alio loco, aut instanti perseverare non posset. Minor non minus perspicua est, quia omnis modus vnitur rei, cuius est modus, per se ipsum, eique essentialiter alligatur: ex sola enim extremorum indifferentia necessitas unionis distinctæ ab omnibus colligitur: cum ergo modus (quiuis sit) indifferens non sit, ut vnietur, vel non vnietur rei absolutæ, sanè per se ipsum, & non per actionem à se distinctam ei vniri debet. Ita de distinctione unionis ab actioneeductiua formæ sentiunt Suarez tom. 3. in 3. p. disp. 9. sect. 1. §. sed hæc sententia & tom. 1. in 3. p. disp. sect. 1. §. secunda & lib. 8. de grat. cap. 2. à num. 6. Barth. Amic. tract. 1. r. q. 10. Compton. disp. 14. phys. sect. 8. Rub. Hurt. Arriag. Ouiedo, Alphonf. & plerique DD. qui quæstionem hanc in terminis tractantur.

Oppositam sententiam magna contentione tuerentur nonnulli Recentiores cum Patre Bernal disp. 12. de Incarnat. sect. 1. §. 2. Primò: quia inherencia accidentis ab eius unionem non distinguitur: ergo neceductio formæ substantialis. Secundò: quia sublata unionem formæ substantialis materialiseductio perit, & conuerso: ergo signum est, unionem, & eductionem eius indistinctas esse. Tertio: quia actioeductiua formæ se ipsa vnitur materiæ, & seipsa etiam vnitur formæ: ergo est unio sui cum materia & forma: ac proinde est unio illarum inter se: quæ enim vniuntur vni tertio immediatè, vniuntur immediatè inter se: sicut quæ identificantur vni tertio, inter se identificantur. Antecedens quoad primam partem probatur: quia in eo actioeductiua à creatione distinguitur, quod se ipsa subiecto vnietur: quoad secundam verò partem, quia formam educi à materia est existere dedender à materia: at existere dependenter à materia, siue in materia est denominatio intrinseca formæ, sicut existere in tempore, & loco ei intrinseca sunt: igitureductio formæ ei intrinseca est, ac proinde ei vnitur. Quartò demum: quia per actionemeductiuam formæ à materia forma recipitur intrinsecè in materia: at formam recipi intrinsecè in materia claudit formalissimè unionem vtriusque; nihil enim alteri à se distincto intrinsecum esse potest, nisi per unionem, quæ ei copuletur.

Ad primum respondeo; inherenciam quidem passiuam accidentis haud distingui ab eius unionem ad subiectum: ceterum distingui ab illa eius inherenciam actiuam, siue actionem, qua efficitur dependenter à suo subiecto, siue qua fit ei inherens: hinc tamen non aliud colligi, nisi quodeductio passiva formæ substantialis ab eius unionem non distinguitur, quod vltro fatemur: nequaquam

16.

17.

18.

quam vero inde confici, quòd eductio actiua formæ substantialis, de quâ nobis sermo est, ab illius cum subiecto vnione sit indistincta. Ad secundum: sicut pereuntibus dispositionibus ad formam, perit forma, & è conuerso: & tamen non obstante hac naturali connexionem forma à dispositionibus distincta est, ita similiter in præsentia, &c. Ad tertium: actio eductiua formæ nec materiæ, nec formæ vnitur, aut intrinseca est, sed agenti vt supra ostendi: quare non est, cur eas vniant inter se: actionis autem eductiue distinctio à creatione, ab eius termino producto, non vero à subiecto intrinseco receptionis sumenda est, vt initio capitis insinuauimus: existere vero formam dependenter à materia siue in materia denominationis intrinseca formæ est: cæterum ea denominationis non provenit in genere causæ formalis, sed in genere causæ efficientis ab actione eductiua: vnde non est, cur hæc formæ intrinseca sit. Hinc ad vltimum respondeo: per actionem eductiuam forma non recipitur intrinsece in materia formaliter loquendo, sed duntaxat efficienter, eo quod actio eductiua producat vnionem, per quam forma intrinsece in materia recipitur. Quapropter inspectis omnibus eiusmodi actio non tam est vnio formæ cum materia, quam vnio, vt egregie docet Suarez vbi supra.



TRACTATUS IV.

De actione conseruatiua corporis naturalis.

CAPVT PRIMVM.

Quid sit conseruatio, & quatenus à prima creatione distinguatur?

CONSERVATIO est actio, quâ res in esse, quod primò naçta est, postea subsistit, in eoque perseverat, v.g. ea, quâ lux matutina à mane vsque ad meridiem, aut vespèram durat; aut infans ab inuente vita vsque ad obitum spirat; aut esse cuiusvis alterius effectus à suis causis protogatur: an autem hæc actio à prima rei productione distinguatur: inter Authores valde controuertitur. Prima sententia est Henrici quodlib. 1. quæstion. 7. & Gregor. in 2. dist. 1. quæst. 6. conclus. 4. & Aureoli apud Capreolum in 2. dist. 1. quæst. 2. art. 2. & aliorum docentium, rem produci, & conseruari per duas actiones, quarum altera statim præterit, altera vero cum esse rei permanet. Primum fundamentum, quo ducuntur, est: quasi actio primo productiua subito præterit; actio vero conseruatiua est permanens, & subito non præterit, vt iam tactum est: ergo actio primò productiua, & conseruatiua fortiuntur prædicata contradictoria, atque adeo altera ab altera adæquatè distinguitur. Secundum fundamentum est: quia sæpè cernimus, rem primò produci ab vna causa, & conseruari ab alia; vt cum calor ab igne primò producit, & à solo Deo in absentia ignis conseruatur: ergo prima productio rei, & eius conseruatio in eo euentu habent prædicata contradictoria, & altera causam aliquam respicit, quàm altera minimè

respicit; sicut ad denominationem realem adæquatam oportet: ergo etiam in reliquis euentis vna, & altera actio realiter adæquatè distinguuntur.

Reiicitur tamen prædicta sententia, primò: quia actio conseruatiua, & actio primò productiua habent aliquam identitatem realem: ergo realiter adæquatè non distinguuntur. Consequentia perspicua est: antecedens probatur ex Augustino lib. 4. de Genesi ad liter. cap. 12. ibi: *Cum Dominus ait, Pater meus usque modo operatur, continuationem quandam operis eius, qua vniuersam creaturam continet, & administrat, ostendit.* Quibus verbis particula *opus* cum operatione coincidit, vt constat ex iis, quæ paulo infra subiungit Augustinus ibi: *Non ob aliud in illo sumus, nisi quia id operatur, & hoc est opus eius, quo continet omnia:* & paulo post ibi: *Si hoc opus suis rebus subtraxerit, nec viuemus, nec mouebimur, nec erimus:* tum sic: conseruatio, iuxta Augustinum, est continuatio operis diuini: at iuxta ipsum opus diuinum est operatio diuina: ergo conseruatio est continuatio quædam primæ operationis diuinæ, seu, quod perinde est, est ipsa operatio diuina continuata. Augustino consonat D. Thomas 1. p. quæst. 104. art. 1. ad 4. ibi: *Conseruatio rerum à Deo non est per aliquam nouam actionem (puta adæquatè distinctam) sed per continuationem actionis qua dat esse: sicut conseruatio luminis in aëre est per continuationem influxum à sole.* Diuo Thomæ Scotus: vtrique, nec pauci, nec ignobiles Theologi adherent; vt cernere est apud Lessium lib. 10. de perfectione diuin.

Secundò eadem sententia reiicitur: quia actio primò productiua rei non est essentialiter adstricta ad primum instans, in quo rem à non esse ad esse transfert: aliàs rei duratio futura esset, contra quam supra tract. 1. cap. 3. fusè philosophati sumus: igitur potest ea actio transacto primo instanti perseverare, & alteri denuo aduenienti eo existere: igitur potest illa actio conseruatiua esse, cum actio rem producat in primo instanti, si in sequentibus perseveret, in illoque (quæ est eius essentia) rem producat, rei conseruatio non esse nequeat.

Tertiò eadem sententia reiicitur: quia si conseruatio rei ab eius prima productione realiter adæquatè distingueretur: similiter conseruatio rei pro secundo instanti distingueretur realiter adæquatè ab eius conseruatione pro tertio instanti; & conseruatio eius pro tertio instanti à conseruatione eius in quarto: & sic de reliquis. Quare non solum pro instanti sequenti primam productionem rei, verum etiam pro singulis instantibus actio variaretur, quod & ab his Authoribus non admittitur, & à nobis supra fusè impugnatum est. Quartò tandem: quia, sicut generatio Verbi diuini est eadem pro quouis momento totius æternitatis; ita vt Filius per eandem indiuisibilem productionem sit in continuo quasi fluxu à Patre, iuxta illud Psal. 2. *Filius meus es tu, ego hodie genui te:* non video, cur etiam quæuis creatura per eandem indiuisibilem actionem non sit in continuo fluxu à Deo: per eandem, inquam, non adæquatè, sed inadæquatè, vt inferius explicabo: aliàs creatura primò producta nunquam perire posset, eiusque productio more processionum diuinarum nunquam interrumpi posset.

Ad